

Medina

SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIUM
VATICANUM SECUNDUM

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

MODI

A PATRIBUS CONCILIAS RIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DOCTRINALI EXAMINATI

II

CAPUT II

DE POPULO DEI
PATRIMONIO UC

(*Sub secreto*)



ARCHIVO CONCILIO VATICANO II

P. JORGE MEDINA E.
CARPETA E.II.2..... N° 3.....
REFERENCIAS.....
.....
.....

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXIV

SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIU
M VATICANUM SECUNDUM

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DOCTRINALI EXAMINATI

II

CAPUT II

—DE POPULO DEI
PATRIMONIO UC

(*Sub secreto*)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXIV

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DOCTRINALI EXAMINATI

RELATIO GENERALIS

Die 17 septembris factae sunt suffragationes de partibus Capitis II
De Ecclesia, cum sequenti exitu.

Prima suffragatio, de numeris 9, 10, 11 et 12:

Praesentes votantes	2.210
Placet	2.173
Non placet	30
Vota nulla	7

Secunda suffragatio, de numero 13:

Praesentes votantes	2.202
Placet	2.186
Non placet	12
Vota nulla	3

Tertia suffragatio, de numeris 14, 15 et 16.

Praesentes votantes	2.099
Placet	2.048
Non placet	48
Vota nulla	3

Quarta suffragatio, de numero 17:

Praesentes votantes	2.174
Placet	2.106
Non placet	67
Votum nullum	1

De integro capite II facta est suffragatio, die 18 septembris:

Praesentes votantes	2.190
Placet	1.615
Non placet	19
Placet iuxta modum	553

Integrum ergo caput, cum omnibus suis partibus, est igitur a Concilio approbatum.

MODI AD CAPUT II DE ECCLESIA

Etiā pro hoc capite, omnes Modi, nullo excepto, a Patribus introducti praevie examinati sunt, praeside Exc.mo Charue, a Praeside Commissionis Doctrinalis delegato, a secretariis Commissionis una cum Exc.mo Garrone, utpote huius capitū relatore.

In seligendis Modis, quatuor examinatores applicaverunt principia, in prima sessione super Modos a membris Commissionis approbata, quae forsitan iuvabit in memoriam revocare:

1° Textus a duobus e tribus partibus in aula probatus, gaudet possessione: ideoque nullus Modus accipi potest qui textui probato contradicat.

2° Eadem de causa non possunt admitti notabiles expunctiones vel mutationes ordinis.

3° Idem admitti nequeunt longiores additiones, etiam si in se sint pulchrae. Nam nullus numerus est qui non augeri possit pulchris citationibus vel ampliationibus.

4° E contra admitti possunt breves additiones, transpositiones, mutationes, quibus clarius et melius apparet sensus textus, vel etiam expunctio superflui.

5° Non tangi debent ea quae scripta sunt post serias discussiones in Commissione. Textus enim probatus a Commissione debet manere in decisio, nisi ab altiore auctoritate nova discussio imponatur.

6° Fieri potest, maxime in rebus ordinis positivi, ut irrepserit unus alterve error. Quod si ille clare indicatur, error erit corrigendus, ut clarius apparebit in ulteriore relatione. V. gr. « filii Ismael » habet sensum controversum; non omnes pagani colunt idola; non *omnes* baptizati gaudent iis qualificationibus de quibus in textu.

RELATIO DE PARTICULARIBUS

Ad num. 9

1. Pag. 29, lin. 5: proponitur sat longa *ampliatio de Deo cognoscendo*, sive ab individuis, sive a populis.

Resp.: Spectata materia tractata, ampliatio non est opportuna.

2. Pag. 29, lin. 10: Suggeritur: « foederis illius novi, perfecti et universalis ».

Resp.: Non videtur necessarium, quia universalitas in sequentibus diserte asseritur. Cf. n. 13.

3. Pag. 29, lin. 19: Suggeritur ut addatur citatio Gal. 3, de foedere cum Abraham.

Resp.: Videtur superfluum.

4. Pag. 29, lin. 30: Scribatur: « Habet pro lege *speciali* mandatum *novum* diligendi sicut Christus dilexit nos ». Alius autem suggerit additionem: « diligendi *Deum super omnia et proximum sicut seipsum*, sicut ipse Christus ... ».

Resp.: Additio *speciali* textum potius debilitaret. Accipitur additio: mandatum *novum*. Ultima additio videtur superflua, et sufficit referentia ad textum *Io. 13, 34*: « mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos ».

5. Pag. 30, lin. 4: Compleatur expositio per descriptionem *consummationis* finalis, secundum *1 Cor. 15, 24-28*.

Resp.: Providetur in Capite VII.

6. Pag. 30, lin. 13: Loco *aliquando* ponatur: *iam*. Vocabulum enim *Ecclesia Dei* in Vetere Testamento rarissime occurrit; generatim sermo est de *Ecclesia Domini*.

Resp.: Admittitur, cum referentia: *2 Esdr. 13, 1*; cf. *Num. 20, 4*; *Deut. 23, 1, 2, 3, 8*.

7. Pag. 30, lin. 16-17: Dicatur: « *Ecclesia Dei et speciatim Ecclesia Christi nuncupatur* ». In Novo Testamento enim expressio *Ecclesia Dei* 13-es occurrit; *Ecclesia Christi* autem nonnisi semel et quidem indirecte, *Mt. 16, 18*.

Resp.: Intentio textus praecise est super differentiam inter Antiquum et Novum Testamentum insistere, ex eo quod *Ecclesia Dei* nunc est *Ecclesia Christi*. Hoc autem *Mt. 16, 18* modo omnino solemnii affirmatur. Idem dicendum est de citatione *Act. 20, 28*. Recolatur insuper doctrina de *Ecclesia ut Corpore Christi*. Scribatur autem: « ... etiam *Ecclesia Christi* ».

8. Pag. 30, lin. 18-20: Quaedam addantur de activitate *actuali* Christi in *Ecclesia*, quam nempe *sustentat, vivificat*, etc.

Resp.: Haec vera et pulchra additamenta alibi iam exprimuntur.

9. Pag. 30, lin. 19-20: Dicatur: « aptisque mediis *etiam* unionis visibilis et socialis instruxit ».

Resp.: Additio *etiam* est superflua, quia media « *invisibilia* » iam indicantur per incisam « *suo Spiritu replevit* ».

10. Pag. 30, lin. 20: Critica movetur contra *definitionem*: « *Congregatio ... est Ecclesia* ». Plures similiter hic adiicere vellent varias restrictiones et praecisiones.

Resp.: Ad praecavendas omnes difficultates, evitetur forma « *definitionis* », quae ceterum non intenditur, et scribatur: « *Deus congregationem eorum qui in Iesum, salutis auctorem et unitatis pacisque principium, credentes aspiciunt, convocavit et constituit Ecclesiam*, ut sit universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis ».

11. Pag. 30, lin. 27: Loco: « *ipsa supra tempora et fines populorum existens* », scribatur: « *ipsa simul tempora et fines populorum transcendens* ».

Resp.: Scribatur: « *dum tamen simul tempora et fines popolorum trascendit* ».

12. Pag. 30, lin. 28-35: Haec linea*e* delectantur, quia idea iam in fine n. 8 exprimitur.

Resp.: Textus iste consulto hic a Commissione servatus est.

Ad num. 10

13. Pag. 30, lin. 36: Scribatur: De sacerdotio communi, seu *metaphorico*, seu *regali*, seu *laudatorio*.

Resp.: Stet textus. Commissio consulto abstinuit a quaestione de indole metaphorica, analogica, propria, etc.

14. Pag. 31, lin. 3: Addatur: consecrantur *et Christo coniunguntur*.

Resp.: Non necessarium, quia alibi dictum.

15. Pag. 31, lin. 10: Addantur « *hostiae spirituales* » secundum 1 Pt. 2, 5.

Resp.: Iam dicitur in Cap. *De Laicis*, n. 34.

Ibid. Addatur: seipsos *in Christo hostiam exhibeant*, cum referentia ad Col. 1, 24.

Resp.: Non necessarium. Edicitur in Cap. 7, n. 49.

16. Pag. 31, ante lin. 16: Agatur imprimis de sacerdotio proprii nominis seu *ministeriali*.

Resp.: De sacerdotio ministeriali *satis providetur*, tum in altera alinea huius numeri, tum in decursu Capitis III. Non est ratio cur *hoc loco* de ministris in specie agatur, quia totum caput agit de illis rebus quae ad Populum Dei *in genere* spectant.

17. Pag. 31, lin. 20-21: Transponantur haec verba ad lin. 17, hoc modo: « Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale seu hierarchicum, *licet* essentia et non gradu tantum differant, ad invicem *tamen* ordinantur: unum *enim* et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant ».

Resp.: Haec correctio stylistica *placet*.

18. Pag. 31, lin. 23: Loco « efformat ac regit », ponatur: « *praedicatione gignit* ».

Resp.: Stet textus, ne excludatur baptismus.

19. Pag. 31, lin. 24: Addatur: « sacrificium eucharisticum *in persona Christi* conficit, illudque nomine totius populi Deo offert ».

Resp.: Admittitur. Ita clarius patet diversitas utriusque sacerdotii.

Ad num. 11

20. Pag. 31, lin. 34: Scribatur: « *per sacramentorum susceptionem et virtutum exercitium* ».

Resp.: Quia agitur in hac phrasu de *exstructione* communitatis, magis placet textus receptus.

21. Pag. 31, lin. 40: Proponitur ut addatur: « Per confirmationem Christo et Ecclesiae perfectius vinculantur ».

Resp.: Non est necessarium.

Ibid.: Redeatur ad *textum priorem*.

Resp.: Textus emendatus diserte insistere intendit super vinculum « *sociale* » confirmationis.

22. Pag. 32, lin. 11: Dicatur: « Populi filiorum Dei », quia « *Populus Dei* » est Israël Antiqui Testamenti. Eadem additio suadetur in variis aliis locis.

Resp.: Sub n. 9 explicatur notio Populi Dei *antiqui et novi*. Omnia sub hac luce legantur. Expressio « *populus filiorum Dei* » adhibetur p. 34, lin. 25.

23. Pag. 32, lin. 16: Addatur: « reconciliantur cum Ecclesia, quam peccando vulneraverunt et quae eorum ... ».

Resp.: Additio admittitur. Addatur: *veniam offensionis Deo illatae ab Eius misericordia obtinent*.

Ibid.: Obiicitur quod de poenitentia *devotionali* omnino siletur.

Resp.: Affirmatio indolem specificam sacramenti poenitentiae exprimit et proportionaliter ad confessionem *devotionalem* applicanda est.

24. Pag. 32, lin. 20: Loco « *patienti* » scribatur « *passo* », quia passio Domini iam est praeterita.

Resp.: Stet textus, quia unio spiritualis transcendent tempus.

25. Pag. 32, lin. 25-28: Fusius dicatur de sacramento ordinis.

Resp.: Provisum est in Capite III.

26. Pag. 32, lin. 32: Addatur: « *Sibi invicem sacramentum matrimonii ministrant et se invicem ... adiuvant* ».

Resp.: Non est opportunum, quia non ab omnibus, in specie ab Orientalibus, admittitur coniuges esse *ministros sacramenti*.

27. Pag. 32, lin. 34: Supprimatur « *acquirendam* », quia sacramentum datur ad *perficiendam* sanctitatem.

Resp.: Admittitur.

28. Pag. 32, lin. 39: Loco *Populum Dei*, scribatur *Familia Dei*.

Resp.: Non expedit, quia vox *Familia* in contextu aequivocationem cum familia humana inducere posset.

29. Pag. 33, lin. 3: Sententia exprimatur non modo *optativo*, sed indicativo seu imperativo.

Resp.: In fine scribatur: « *foveant oportet* ».

Ad num. 12

30. Pag. 33, lin. 20: Observatur quod vox *fidelium* intelligere posset de solis laicis, dum tamen hic etiam respiciuntur membra Hierarchiae.

Resp.: Inter « *fideles* » cointelliguntur evidenter membra Hierarchiae. Cf. lin. 24-25: « ab Episcopis usque ad extremos laicos-fideles ».

Ibid.: Sensus fidei *efficitur* per Magisterium et *passive* accipitur a fidelibus. Ut praecaveatur « instinctus » ad modum modernistarum, insister oportet super munus Hierarchiae.

Resp.: Commissio hanc sententiam iam olim expresse consideravit, et censet satis provisum esse in textu, v. g. lin. 29 ss.

31. Pag. 33, lin. 24: Loco « *exercet* », scribatur « *manifestat* ».

Resp.: Admittitur.

32. Pag. 33, lin. 29: Addatur: sub ductu *sacri* Magisterii.

Resp.: Admittitur.

33. Pag. 34, lin. 11: Intensificetur affirmatio de munere Hierarchiae.

Resp.: Satis provisum est in textu, ut iam in Responso ad Modum 30 dicitur.

Ad num. 13

34. Pag. 34, lin. 18: Scribatur: Ad *novum* Populum Dei cuncti vocantur.

Resp.: Admittitur.

35. Pag. 34, lin. 20: Loco: « *propositum voluntatis Dei* », scribatur simplicius: « *voluntas Dei* ».

Resp.: Stet textus, propter allusionem ad *Eph. 1, 5*.

36. Pag. 34, lin. 23-24: Citatio *Heb. 1, 2* recurrat infra lin. 39. Ideo hic substituatur per *aliam citationem*: « in quo Sibi complacuit omnia instaurare ».

PATRIMONIO UC

Resp.: Stet textus, et lin. 39 auferatur referentia ad *Heb. 1, 1 (2)* quae ibi non est necessaria.

37. Pag. 34, lin. 24: Deleatur vox « *noster* », quia totus textus in tertia persona plurali conscribitur et non in prima.

Resp.: Scribatur: « *Magister, Rex et Sacerdos omnium* ».

38. Pag. 34, lin. 27: Addatur de Spiritu, quod est principium *invisibile*.

Resp.: Inutile, quia ex ipsa re patet.

39. Pag. 34, lin. 30: Loco « Regni quidem non terrestris, sed coelestis », scribatur: « *quorum municipatus non in terris sed in caelis est* » (*Phil. 3, 20 gr.*).

Resp.: Citatio *Phil. 3, 20* in contextu non adaptatur. Scribatur: « Regni quidem *indolis* non terrestris sed coelestis ».

40. Pag. 34, lin. 34: Deleantur verba: « *seu Populus Dei* ».

Resp.: Potius serventur, quia totum caput de Populo Dei inscribitur.

41. Pag. 34, lin. 35-36: Tollantur hae lineae, quia repetunt illa quae infra dicuntur sub n. 17, pag. 38, lin. 34 ss. de bonis variorum populorum.

Resp.: Non datur realis repetitio, quia hic praevalenter agitur de

bonis *temporalibus* (lin. 35), dum sub n. 17 potius est sermo *de ritibus et culturis* (pag. 38, lin. 35). Ergo stet textus.

42. Pag. 34, lin. 37-38: Tollatur vox *consecrat*, quia ambigua.

Resp.: Scribatur: « *purificat*, roborat et elevat ».

43. Pag. 35, lin. 1: Addatur: « Populum Dei condecorat, *consecrandum* et recapitulandum ».

Resp.: Videtur superfluum.

44. Pag. 35, lin. 4-22: *Omittatur* tota alinea.

Resp.: Integer textus est a Concilio approbatus.

45. Pag. 35, lin. 4: Loco « *partes* », dicatur « *membra* ».

Resp.: Consulto electa est vox *partes*, quia sensum generaliorem, et non tantum individualem habet.

46. Pag. 35, lin. 12: Addatur indicatio *de coniugatis*.

Resp.: Satis pro visum est in toto Schemate, in quo *tres* occurunt explicitae tractationes de coniugatis. Hic autem implicite indicantur, per oppositionem ad Religiosos.

47. Pag. 35, lin. 14-15: Loco « primatu Petri Cathedrae », scribatur « primatu successoris Petri ».

Resp.: Remaneat textus. « *Cathedra* » praecise successionem evocat, et requiritur eius mentio propter allusionem ad textum S. Ignatii *ad Rom.*: « *quae universo caritatis coetui praesidet* ».

48. Pag. 35, lin. 24: Loco « *asciscuntur* », scribatur « *vocantur* ».

Resp.: Admittitur.

49. Pag. 35, lin. 25: Vocabula « *pertinent vel ordinantur* » sunt nimis generalis.

Resp.: Statim infra *specificantur*, sub num. 14-16.

50. Pag. 35, post lin. 25: Addatur consideratio *de statu reali* plurium, qui in peccatis versantur, ut vitetur superficialis optimismus.

Resp.: De peccato etiam catholicorum agitur expresse sub n. 14, pag. 36, lin. 16-20. Ceterum hic in quaestione dogmatica versamur, non in descriptione phaenomenologica.

Ad num. 14

51. Pag. 35, lin. 36-38: Plures (fere 20) Patres quaerunt ut addatur: « ... necessitatem *fidei et baptismi* expressis verbis inculcando ... ». Petitur insuper ut addatur lin. 38: « ... necessitatem Ecclesiae, *in qua una Christus ... perfecta fide creditur* et in quam homines ... ».

Resp.: Admittitur additio « *fidei et baptismi* », secundum citationem *Mc. 16, 16*. Altera amplificatio non est necessaria.

52. Pag. 35, lin. 39-40: Inserantur verba: « *voto saltem implicito* ».

Resp.: Haec incisa hic non est ad rem, quia de *catholicis* agitur. Casus de non-christianis exponitur concrete in n. 16.

53. Pag. 35, lin. 40 ss.: Casus consideratus, de illis nempe qui,

Ecclesiam cognoscentes, in eam intrare nolunt, *non est irrealis*. Unde scribatur, lin. 40: *possunt*, et pag. 36, lin. 3: *nolunt*.

Resp.: Huiusmodi mala fides certe non potest dici frequens. Stet ergo textus, cum sola correctione: *noluerint*, loco « *nollent* ».

54. Pag. 36, lin. 4-12: Proponitur *arctior constructio phraseos*: « ... incorporantur qui integrum eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta *recipientes*, in eiusdem compage visibili ... *iuncti sunt*, vinculis nempe ». Incisa autem lin. 5 « Spiritum Christi habentes » transferatur in fine phraseos: « *et Spiritum Christi habent* ».

Resp.: Commissio praedictum textum olim post largam disceptationem ita statuit. Qui modus dicendi, cum explicita enumeratione conditionum, etiam hodie ei videtur clarior. Unde non admittitur mutatio neque translatio verborum.

55. Pag. 36, lin. 18-20: Adhibetur *tonus minus durus*.

Resp.: Haec seria commonitio, secundum spiritum Evangelii, consulto a Commissione apposita est.

Ad num. 15

56. Pag. 36, lin. 34 ss.: Plures Patres (circiter 75) dicunt hanc affirmationem de vinculis cum christianis acatholicis esse *exaggeratam*, ideoque omittendam. Non valet enim de pluribus quorum coetus formam sectae prae se ferunt. Praeterea affirmatio posset interpretari ut approbatio proselytismi, v. gr. Protestantium in America Latina.

Ex altera parte plures Patres (circiter 70) dolent quod praevalenter de *individuis* christianis acatholicis agitur, ideoque petunt ut lin. 36-37 addatur: « *cum eorum Ecclesiis vel communitatibus ecclesiasticis* ».

Resp.: In toto textu agitur *de elementis obiectivis* quae nexus quemdam cum Ecclesia Catholica constituunt, et sermo evidenter est generalis; ideoque singula non de singulis achristianis intelligenda sunt. Itaque in genere servatur textus. Neque additur lin. 36-37 incisa de « *Ecclesiis vel communitatibus* », quippe quae paulo infra edicitur, nempe lin. 41. Admittuntur tamen sequentes correctiones:

lin. 29: « *Cum illis ...* »; omittendo scilicet « *omnibus* », quia etiam modo nemo excluditur.

lin. 34: Scribatur: « *Sunt enim multi qui Sacram Scripturam ...* », ne res de *omnibus* et singulis videatur dicta.

lin. 36: Loco « *zelum apostolicum* » scribatur « *sincerumque zelum religiosum* ».

57. Pag. 36, lin. 40: Ad verba: « *baptismo Christo coniunguntur* » addatur: « *si in sua ad Eum adhaesione pergunt* ».

Resp.: Res de se patet. Ergo adjunctio inutilis.

58. Pag. 37, lin. 9: Loco *usque ad martyrium* scribatur: *usque ad sanguinis effusionem*, ne disputetur de sensu stricte theologico martyrii.

Resp.: Admittitur.

59. Pag. 37, lin. 13: Non appareat utrum « *unus Pastor* » indicat Christum aut Romanum Pontificem.

Resp.: Textus, secundum *Io. 10, 16*, indicat Christum. Christus autem, secundum doctrinam catholicam, instituit unum pastorem visibilem; cf. *Io. 21, 16-17*.

Ad num. 16

60. Pag. 37, lin. 28-34: Circa 230 Patres, praesertim in Oriente degentes, difficultatem movent contra illa quae de « *filiis Ismael* » dicuntur. Sequentes invocant rationes:

a) Sententia inde a lin. 31 occurrens: « *Si quidam Patrum Iesu Christi ignorantes ...* », pro Musulmanis esset offensiva, quia Christum ut prophetam agnoscant. — Observamus tamen quod haec sententia non amplius de Musulmanis agit, sed de illis in genere qui Deum creatorem agnoscant.

b) Titulus « *filiis Ismael* » controvertitur.

c) Musulmani non habent obiective puram revelationem Patribus factam.

d) Addatur quod Musulmani credunt in iudicium finale seu Deum remuneratorem, qui per prophetas locutus est. — Observamus tamen quod per hanc ultimam incisam facile intelligeretur Deum etiam per Mahomet locutum esse.

Patres praedicti sequentem proponunt modificationem:

« *Sed propositum salutis et eos amplectitur qui Creatorem agnoscent, inter quos imprimis Musulmani qui, fidem Abraham se tenere profitentes, nobiscum Deum adorant unicum, misericordem, homines (per prophetas allocutum) die(que) novissimo iudicaturum. Neque ab aliis, qui in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerunt, Deus ipse longe abest, cum det omnibus ...* ».

Resp.: Modificatio admittitur, dempta incisa de prophetis.

61. Pag. 37, lin. 33: Scribatur: *vel si qui in umbris ...*, scilicet ut clarius appareat agi de nova categoria.

Resp.: Admissa correctione 60^a, difficultas ruit.

62. Pag. 37, lin. 40: Addatur: « *... et Eum ut remuneratorem agnoscent* ».

Resp.: Non videtur necessarium.

63. Pag. 38, lin. 1-2: Afferenda est etiam necessitas *fidei*.

Resp.: Fides sub voce « *sub gratiae influxu* » continetur.

64. Pag. 38, lin. 9: Loco « *ab Illo datum* », scribatur: « *a Patre datum* ».

Resp.: In contextu « *Ille qui illuminat omnem hominem* » intelligitur de *Christo* secundum *Io. 1, 9*.

65. Pag. 38, lin. 11: Deleatur incisa « *a Maligno decepti* ».

Resp.: Remaneat indicatio, propter testimonium i. a. S. Pauli.

66. Pag. 38, lin. 21: Addatur exhortatio *ad orationem* pro Missionibus.

Resp.: Observatio hoc loco, ubi *de describendo statu* non christianorum agitur, non est ad rem.

Ad num. 17

67. Pag. 38, lin. 22 ss.: Patres, numero circiter 120, proponunt sat longam *ampliationem*, in qua *mandatum Christi* de praedicando Evangelio solemnius enuntietur, necessitas inculcetur ut Missiones ad constituendas *novas Ecclesias* complete exstructas perducantur, et denique doceatur etiam has novas Ecclesias ad opus missionale *pro aliis conferre debere*.

Resp.: Ut huic observationi satisfactio praebeatur, quin textus valde amplietur, statuuntur sequentia:

a) Lin. 24, *complete exscribuntur* verba Mt. 28, 18-20: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce Ego vobiscum sum ... »;

b) lin. 26-27: loco « Quam missionem » scribitur: « Quod *solemne Christi mandatum* ... »;

c) lin. 28 *adduntur* sequentia: « ideoque in mittendis praeconibus indesinenter pergit, usquedum novellae Ecclesiae plene constituantur atque opus evangelizandi et ipsae continent ». PATER MONIO UC

68. Pag. 38, lin. 26: Loco « Ecclesia ab Apostolis recepit », scribatur « *in* Apostolis ».

Resp.: Maneat textus: « *In* Apostolis » enim difficile intelligeretur

69. Pag. 38, lin. 31: Repetatur vox *Ecclesia*, ut clarius appareat subiectum phraseos.

Resp.: Admittitur.

70. Pag. 38, lin. 32: Deleantur verba « *et idolorum* », quia vix apparent homines qui idola vere adorent.

Resp.: Admittitur. Sed servatur « *a servitute erroris* ... ».

71. Pag. 38, lin. 33: Pro claritate repetatur obiectum phraseos: « *eisque Christo incorporat* ». PATER MONIO UC

Resp.: Admittitur.

CORRECTIONES ADMISSAE

IN CAPITE II DE POPULO DEI

- N. 9, pag. 29, lin. 30-31: Habet pro lege mandatum *novum* diligendi sicut ipse Christus dilexit nos (cf. *Io.* 13, 34).
pag. 30, lin. 13-16: Sicut vero Israel ... Dei Ecclesia *iam* appellatur (*2 Esdr.* 13, 1; cf. *Num.* 20, 4; *Deut.* 23, 1 ss.), ita novus Israel ... *etiam* Ecclesia Christi nuncupatur.
pag. 30, lin. 20-24: *Deus* congregationem eorum qui in Iesum salutis auctorem et unitatis pacisque principium credentes aspiciunt, *convocavit et constituit Ecclesiam*, ut sit universis et singulis sacramentum visible huius salutiferae unitatis.
pag. 30, lin. 27: Ad universas regiones extendenda in historiam hominum intrat, *dum tamen simul* tempora et fines populorum *transcendit*.
- PATRIMONIO UC**
- N. 10, pag. 31, lin. 20-21: Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale et hierニックum, *licet* essentia et non gradu tantum differant, ad invicem *tamen* ordinantur: unum *enim* et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant.
pag. 31, lin. 24: Sacrificium eucharisticum *in persona Christi* conficit, illudque nomine totius populi Deo offert.
- N. 11, pag. 32, lin. 14-18: Qui vero ad sacramentum poenitentiae accedunt, veniam *offensionis Deo illatae* ab *Eius* misericordia obtinent et simul reconciliantur cum Ecclesia, *quam peccando vulneraverunt* et quae eorum conversioni caritate, exemplo, precibus adlaborat.
pag. 32, lin. 32-34: Coniuges ... se invicem ... ad sanctitatem adiuvant.
pag. 33, lin. 3: Parentes verbo et exemplo sint pro filiis suis primi fidei praecones, et vocationem unicuique propriam, sacram vero peculiari cura, foveant *oportet*.
- N. 12, pag. 33, lin. 20: Universitas fidelium ... hanc suam peculiarem proprietatem mediante sensu fidei totius populi *manifestat*.
pag. 33, lin. 29: Populus Dei sub ductu *sacri Magisterii* ...

- N. 13, pag. 34, lin. 18: Ad *novum* Populum Dei cuncti vocantur homines.
pag. 34, lin. 28: Magister, Rex et Sacerdos *omnium*.
pag. 34, lin. 30: Populus Dei, cum ex omnibus (gentibus) mutuetur suos cives, Regni quidem *indolis* non terrestris sed coelestis ...
pag. 34, lin. 37-38: Ecclesia ... copias moresque (populorum), quantum bona sunt, fovet et assumit, assumendo vero *purificat*, roborat et elevat.
pag. 34, lin. 39: *Delenda* est referentia: *Heb.* 1, 1.
pag. 35, lin. 25: (Ad Populum Dei) omnes *vocantur* homines.
- N. 14, pag. 35, lin. 35-36: Ipse autem necessitatem *fidei et baptismi* expressis verbis inculcando, necessitatem Ecclesiae ... simul conformavit.
pag. 36, lin. 3: ... in eam intrare, vel in ea perseverare *noluerint*.
- N. 15, pag. 36, lin. 29 ss.: *Cum illis* qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integrum autem fidem non profitentur, ... Ecclesia semetipsam novit plures ob rationes conjunctam. *Sunt enim multi* qui Sacram Scripturam ... in honore habent, *sincerumque zelum religiosum ostendunt* ...
pag. 37, lin. 9: (*Spiritus Sanctus*) quosdam illorum usque ad *sanguinis effusionem* roboravit.
- N. 16, pag. 37, lin. 28-34: *Sed propositum salutis et eos amplectitur* qui Creatorem agnoscent, *inter quos imprimis* Musulmani qui, fidem Abrahae se tenere profitentes, nobiscum Deum adorant unicum, misericordem, homines die novissimo iudicaturum. Neque ab aliis, qui in umbbris et imaginibus Deum ignotum quaerunt, Deus ipse longe abest, cum det omnibus ...
- N. 17, pag. 38, lin. 24: « Euntes ergo docete omnes gentes, *baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis*. Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 18-20). *Quod sollempne Christi mandatum* annuntiandi veritatem salutarem Ecclesia ab Apostolis recepit adimplendum usque ad ultimum terrae (cf. *Act.* 1, 8). Unde sua facit verba Apostoli: « Vae ... mihi est si non evangelizavero! » (*1 Cor.* 9, 16), ideoque in mittendis praconibus inde sinenter pergit, usquedum novellae Ecclesiae plene con-

*stituantur atque opus evangelizandi et ipsae continent.
A Spiritu Sancto enim ...*

pag. 38, lin. 31 ss.: Praedicando Evangelium, *Ecclesia* audientes
ad fidem confessionemque fidei allicit, ad baptismum
disponit, a servitute erroris eripit, *eosque Christo incor-*
porat, et per caritatem ...

QUAESITUM

*An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos, Caput II
respicientes, cum correctionibus supra indicatis?*

pres: 1915; pl 1893; nm 19; mod 2
null. 1



PATRIMONIO UC